UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm Tomvs ...

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Eucharistia excitat deuottonem & feruorem. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-78821

Visual Library

[ſer. 10. 6. p. vit. cap. 5.] appellatur à Sancto Theodoro Studita. Et à Deo Patre in quodam raptu B. M. Magdalenæ de Pazzis, appellatus eſt Cirillus in Euchariſtiâ, *Arbor vitæ, quâ nos nutriendo nos deificaremus, & per eum recipiendo Diuinitatem, acquireremus magnam capacitatem Dei.* Si enim fimbria veſtis eius ſanabat infirmos Mar. 6.56. quanto magis Euchariſtia id præſtabit ſuo contactu, quæ nobilius, quàm veſtis Chriſti carnem continet. Si oleum Extremæ vnctionis ſæpè ſanat corpora, præſtat hoc & Euchariſtia, quando id eſt neceſſarium pro Dei gloriâ maiore non quidem ex ſui inſtitutione, ſicut extremæ vnctionis Sacramentum, ſed ex ſpeciali Dei priuilegio & fauore, dilectas ſibi quaſdam animas ob ſanctimoniam earum ita conſolando etiam corporaliter, non quidem ſemper, & omnes, ſed iuxta ſuum diuinum beneplacitum, concedendo aliquando talia minùs ſanctis, non concedendo ſanctioribus, vti ſcimus S. Ioanni Baptiſtæ; non fuiſſe datum donum patrandi miracula. Ioan. 20. 41. etſi eo *nullus ſurrexerit maior inter natos mulierum.* Matth 11.11. Si cibus ille ab Angelo [3. Reg. 19.] allatus Eliæ, per 40. dies & noctes eum ſuſtentauit, quidni Euchariſtia, frumentum Electorum præſtantius cibo Eliæ? Si caro Eliſæi ſuo contactu vitã reddidit cadaueri mortuo, quidni Chriſti caro conſeruaret vitam, & morbos abigeret, vt notat S. Cyrillus Alex. [l. 4. in Ioa. c. 14.] Nam cum Chriſti caro quæ in Euchariſtiâ ſumitur, ſit hypoſtaticè vnita Verbo diuino, quod eſt vita eſſentialiter, & fons ac cauſa omnis vitæ creatæ, quidni, dum Deo placet, vitam conſeruaret, & reſtauraret in morbis? Meritò ergo ſcribit S. [l. 3. in Ioa. c. 37.] Cyrillus Alexandrinus, *Viuificare Corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſuâ participatione reducere. Nõ enim alterius cuiuſdam ſed ipſius vitæ corpus eſt, virtutem Incarnati Verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo vniuerſa viuunt & ſunt.* Vnde mirum non eſt, puerum quendam filium vitriarij Iudæi à parente in ardentem fornacem coniectum, eò quòd vnà cum Chriſtianis in æde B. Virginis Euchariſtiam ſumpſiſſet viuum, illæſum, conſeruatum, & iam egreſſum, retuliſſe, ſe contra vim ignis protectum ab illâ cuius imaginem in templo viderat. Ita ſcribit S. Gregorius Turonenſis. [l. de glor. mart. c. 8.]

*Tertiò*, Euchariſtia prodeſt ad profectum animæ, quia corpori prodeſt, conferendo ei reſurrectionem corporum, eo modo, quo benè explicatur ex PP. ſententia à Suar. tom. 3. in 3. p. d. 64. ſect. 12.

*Quartò*, Euchariſtia prodeſt, quia à corpore dæmones abigit, vt patet ex hiſtoriis Eccleſiaſticis Coll. 7. c. 30. ex Caſſiano.

## CAPVT VNDECIMVM.

### *Euchariſtia excitat deuotionem & feruorem.*

Duodecimò, prodeſt Euchariſtia ad profectũ ſpiritualem, quia eſt efficax ad excitandam 48. animi deuotionem, & charitatis feruorem. Ideò [l. 6. Reu. cap. 23.] meritò S. Brigitta vidit in ſpiritu Deiparam pro quodam Domino orantem, & Filio ſuo dicentem: *Da ei Corpus tuum, vt ſentiat in ſe auxilium, & delectetur in eo cum charitatis feruore.* Hanc enim piè ſumpta excitat. Ideò meritò S. Chryſ. ait: *Ex* [h. 24. in Gen.] *menſæ huius tremendæ participatione ſplendorem ignis reſilire & vim conflagrantem.* Ex qua ſpiritualis feruor procedit, non ſolus, ſed cum ſpeciali ſpiritus ſuauitate, ac dulcedine, quæ eſt gratia quædam actualis, vt S. Tho. & Suarius, & eſt communis Theologorum. [3. p. q. 79. a. 1. ad 2. Suar. ibi. Tom. 6.] *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Cibus autem & potus oblectant materialiter, ergo cum Conc. Florent. dicat, hunc cibum ſpiritualiter conferre eos effectus, quos corporalis cibus confert materialiter, ſpiritualiter Euchariſtia oblectat. Et ita Clem. 49. V. cum Conc. Vienn. de reliq. & venerat. Sanctorum; *In hoc,* inquit, *Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitas, ipſaq; dulcedo Domini deguſtatur: ſe ipſum enim format Dominus in eſcam,* vt ait S. Macar. h. 4. *vt inenarrabili modo tranquillet & impleat animam lætitiâ ſpirituali.* [to. 4. Bib. SS. PP.] Quam in ſe expertus B. Laur. Iuſtin. de diſciplinâ & perfectione monaſticæ conuerſationis, pulchrè diſſerens ſic c. 19. col. 5. deſcribit: *O quãta ibi deliciæ, quantus odor, qualia verba, quàm vehemens amor, quàm caſti amplexus guſtantur, quis propalare valeat? Nil tunc ibi niſi dulciſona interioris hominis cantica, clamores deſideriorum, gratiarum actiones, laudum præconia, affectionum gemitus, reſonãt in laude dilecti. Pia etenim mens, tanti Sponſi lætificata præſentiâ, venerando hoc mediante Sacramento, repletur gaudio, exultatione perfunditur, humilitate deiicitur, lumine irradiatur, pace ſatiatur, roboratur fide, deuotione ſaginatur, atque indiſſolubili amoris vinculo Redemptori interiùs copulatur. Ex quo feruentior in dilectione, fortior in labore, promptior in opere, in tentatione prudentior, ſolicitior in virtute in adminiſtratione alacrior, nec non & in ipſius frequentatione efficitur ardentior. Talia nempe ſunt munera tua, ô Domine Ieſu, taliaq; amoris encænia; quæ amicis tuis deuotis & dilectis, per hoc ſacroſanctum myſterium conferre dignaris, vt omnem tranſeuntis vitæ ſuperent delectationem.*

Experientia autem docet, dum animus feruet, ſpiritualis lætitiæ & delectationis ſuauitate, eum aptum eſſe ad profectum in virtutibus. Hinc Dauid dixit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* [pſ. 118. 32.] B. Bertr. dicebat, 50. *vt SS. Euchariſtiæ ſanctos nauigare inſtar nauis, quæ vẽtum habet in puppi. Ideò exhortabatur, vt qui non poſſet communicare, ſaltem iret ad templum, & ſe præſentaret SS. Sacramento.* [Vit. c. 17.]

CAP.